



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1712**

Q. 337. Quid denique circa Ordinantes & ordinatos sit notandum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42433**

remonis & actionibus ad altare, peragendam, tum præcipuè, quia dubiū est, an consecret, eò quòd fortè verba non absolvat cum Episcopo.

2324. Q. 336. *Quandonam legi debeat alia prima Missa.* R. De Jure communi non est determinatum certum tempus: S. Ignatius Lojola scribitur ad sesquiannum expectasse, ut se meliùs præpararet, Gob. t. 3. n. 486. In Synoda Colon. supra c. 4. §. 9. sic statuitur. Sacerdotes intra 40. dies ab Ordinatione sua juxta antiquam consuetudinem primitias suas celebrent: & si qui præscripto tempore id non præstiterint. denuncientur ac debite puniantur.

2325. Q. 337. *Quid denique circa Ordinantes & ordinatos sit notandum.* R. De horum Officiis & obligationibus satis dictum est. Coronidis loco pono trium Sanctorum sententias. S. Augustinus relatus à Gratiano in Decreto dist. 40. Cap. Ante omnia dicit, nihil apud Deum esse miserabilius & tristius & damnabilius Officio Episcopi aut Presbyteri, si perfunctoriè agatur. S. Antoninus in Chronicorum opere tit. 1. c. 1. §. 4. de S. Leone I. Papa refert, Eidem ad sepulchrum B. Petri oranti & jejunanti, & ut peccatorum suorum veniam Petrus impetraret, petenti, apparuit Petrus ipse dicens, Deprecatus sum pro te Dominum, & omnia peccata tua tibi dimisit: solummodo de manus impositione debes inquiri, idest, si bene vel aliter alicui manus imposueris, scilicet conferendo Ordines vel Beneficia. S. Chrysostomus Homiliâ 3. in Acta Apostol. post medium ait, Non temerè dico, sed ut affectus sum ac sentio, non arbitror inter Sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed multò plures, qui pereant: cujus assertionis suæ causas ibidem plures affert: & subdit, Ne mihi dixeris igitur, peccavit Presbyter aut Diaconus, omnium horum crimina redundant in caput eorum, qui hos elegerunt. INDEX